14

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA, DE PLETHORA, EJUSQUE PRÆTER NATURAM IN CORPUS HUMANUM PRODUCTIS EFFECTIBUS,

Quam

AUSPICE DIVINO NUMINE.

Ex Decreto

AMPLISSIMÆ ATQUE GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICAE

IN ILLUSTRI ARGENTORATENSIUM ACADEMIA

PRO LICENTIA

SUMMOS IN ARTE MACHAONIA HONORES ATQUE PRIVILEGIA RITE CAPESSENDI

D. 8. Novembr. M DCC XXIV.

SOLENNI MEDICORUM EXAMINI

EXPONET,

FRIDERICUS WILHELMUS KLOSE,
Durlaco-Badenſis.

ARGENTORATI

Typis, SIMONIS KÜRSNER, Cancell. Typogr.

DEO

PATRIÆ

PARENTI

ATQVE

AMICIS.

Proœmium.

PLETHORA, ſive ſanguinis abundantia maximam in re Medica conſiderationem meretur. Priſcis jam temporibus cognitum erat, illam diu corpori inhabitantem morboſam fieri, & Divus olim Hippocrates Plethoricos ſive abundanter ſa-cos ad morbos propius vergere confeſſus eſt. Sane, ſi rem exactius penſitemus, pauciſſimi mortalium ab illa immunes vivunt, & multiplici hodie Experientia compertum

habemus, quamplurimos in corpore humano præternaturales affectus ortum inde trahere. Maximam partem in hujus rei investigatione invento Harvæano debemus; quis enim neſcit, vitam à ſanguinis circulo, hunc vero ab illius fluxilitate & vice verſa pendere? cum autem major ſanguinis portio motum ipſius progreſſivum impeditiorem reddat, ſpiſſior ut inde naſcatur conſiſtentia neceſſe eſt, quæ ob mixtionem partium ſumme heterogenearum ad inteſtinam diſſolutionem & corruptionem putredinoſam, humorum maſſam æque ac corpus diſponere, apta exiſtit. Quod igitur Thema dignum mihi viſum fuit, ut præ Specimine Inaugurali elaboretur, quibus meis auſibus ut Summum Numen clementer adſit, eſt quod devotiſſime precor.

SECTIO

SECTIO I.

PHYSIOLOGICA, EXISTENTIAM, NATURAM ATQUE CONDITIONEM PLETHORÆ EXHIBENS.

§. I.

ANtequam in altum pelagus provehar, quædam prius de naturali Plethoræ ſtatu prælibare opus erit. Cum vero non-entis nullæ ſint affectiones, quod de illius exiſtentia prius agendum ſit, cuivis in ſenſus cadet. Datur igitur Plethora. Helmontio enim Authore multi ſunt inter eruditos qui illam negant, ſeducti rhetoricis magis quam ſolidis ejus rationibus, cui apprime aſſentitur vulgus. Præcipuæ illorum rationes ſunt: 1) Sanguinem bonum ſuperfluum eſſe haud poſſe, quia Sacro Codice teſte theſaurus vitæ exiſtit, ejusque detractio vires imminuit, quas æque ac ſanguinem abundare non poſſe cum Aſſeclis perſuaſum eſt Helmontio, 2) Naturam fruſtra non agere, neque ſanguinis copiam perperam generari, & 3) ex Statica Sanctoriana perſpectum eſſe, eandem ſemper humorum quantitatem aſſumptis reſpondentem ſecerni. Plura qui ſcire hac de re cupit, ex hujus opinionis fabri *L. de Febr*, atque *Bontekoe Chirurg*. *P. II.* multa depromet, quæ nauſeam movere poſſent. Sed merito tales riſu dignos

judicat *Cl. Lentilius in Eteod. 1709. Menſ. Dec.* Quod itaque ad ſanguinem attinet, certum quidem eſt, nimiam ejus copiam noxiam non futuram, ſi modo in corpore ſtabulari poſſet, quoniam vero uſus illius in circulatione & hinc pendente fluxilitate atque vita conſiſtit, circuitus autem liberior à nimia copia retardetur, meatus onerentur atque ſpiſſeſcentia generetur, & bonum quoque ſanguinem moleſtum fore, nemo inficias ibit. Naturam fruſtra non operari urgent Adverſarii, concedam, mox enim patebit, quem in finem illa in junioribus foveat Plethoram, cum vero ab externis rebus, v. g. ingurgitatione ciborum nimia utplurimum producatur, fruſtra ſæpe generatur ſanguinis abundantia. Sed excuſari poteſt Helmontius, ipſi quippe neque circulus neque uſus ſanguinis adeo innotuit, illumq; Veterum ad libras ad animi usque deliquia ſanguinis miſſiones deceperunt. Ejusdem fere commatis ſunt argumenta *Lovveri*, quæ proferre ſupervacaneum foret, cum à *Valiſnerio* in *E. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 85.* ſolide ſint refutata.

§. II.

Aſt ſequentia ulterius probabunt Plethoræ exiſtentiam. Quamvis authoritate nitendum non ſit, liceat tamen allegare *Coum*, cujus non tam verba quam ſenſus illam non obſcure innuere videntur. Certiores nos reddit conſervatio tam individui quam ſpeciei, neceſſaria enim eſt ſuperflui generatio, ut illud quod per motus corporis atque ſanguinis conſumptorios, ſe-

cretio-

cretiones puta atque excretiones humorum ſeceſſit, reſtituatur; neceſſaria quoque eſt in junioribus, ubi corpus augendum atque partes explendæ, & licet hæc partium extenſio circa annum XXIV. deſinat, nihilominus hæc major generatio ex ſola aſſuetudine remanet. Et quis denegabit ſequiori ſexui hanc abundantiam, opus enim habet, ut fœtum alat ſive in utero ſive in lucem editus ſit, unde gravidæ interdum avidius appetunt, reliquo tempore hic embryoni deſtinatus ſanguis ſingulis menſtruis periodis per uterum excernitur, Plethoram vero menſium fluxus cauſam eſſe, ſolide demonſtravit *Freind. Emmenol. C. VI.* Quid de perverſo mortalium appetitu dicam? plus enim plerumque comedunt quam neceſſitas exigit; pinguedinem in teſtimonium proferam, hanc ne ſuperfluæ à nutritione partes in corporis detrimentum ruant, in certa ſic loca diſponit provida Natura, donec in illius uſum redeant. Progredior ad experientiam: Symptomata Plethoram comitantia, laſſitudo artuum, gravitas membrorum, &c. unica hæmorrhagia, vel illius vicaria, Venæſectione ſolvuntur, hoc Medicis atque plebi notum eſt. Quid opus erit ulteriori probatione, cum plena jam ſint eruditorum ſcripta ſolidiſſimis contra hanc ſectam argumentis. Vide *Cel. VVedel. Pathol. Med. Cl. Stahl. Diſſ. de Phlebot. de V. S. Patrocin. de Mechan. Mot. S. Progr. & Theor. Barth. de Moor Inſtaur. Med. L. II.* atque paſſim.

§. III.

Plethora, à πλήθειν, *implere* derivata, eſt majoı ſanguinis copia atque exundantia, quam quæ ad ne: ceſſarium vitæ uſum requiritur, verbis ſolum diſſen tire videntur, qui illam per abundantiam humorun vitalium oneroſam definiunt. Cum ſanguis propte combinationem partium ſumme heterogenearum, ſul phureo-pingvium, mucido-ſeroſarum & terreſtriun craſſiorum ad concretionem gelatinoſam diſſolutio nemque putridam valde inclinet, continuo opus eſt il lius motu, ut ſpiſſeſcens dirimatur fluxilisque reddatu: recrementa ſub hoc orta ſegregentur, vita & ſanitas i libatæ ſerventur; huic motui obicem ponit abundar tia ſolito major, quo minus ſanguis tenuis maneat hinc oneroſa fit Plethora & morbos generandi apt: Quæritur ergo: quænam præciſe quantitas ad illar conſtituendam requiratur? Multum quidem ſudarur Phyſici in inquirenda ſanguinis in naturali ſtatu copi egit hac de re *Keil in Act. Lipſ. 1709. p. 402.* & *Barth. a Moor Inſt. Med. L. I.* Sanguinis quantitatem XXV. ci citer librarum eſſe, demonſtravit *Bonte. Tr.* vom Le und Geſ. des Menſchen / & *VVeisbach Proœm Lanciſius* vero *Diſſ. II.* ultra XXII. non concedit. Cer ad unciam determinari non poteſt, & ſufficit, i ſignem humorum quantitatem energiam motuum ſ perantem Plethoræ titulum mereri. Neque multu ſoliciti ſimus, an ſolum ſit ſanguis intelligendus, cu reliquis humoribus commiſtus ſit, & portio illi

rub

rubicunda ſecundum *Bergeri* menſurationem vix duodecimam M. S. partem, maximam autem gelatinoſæ & aqueæ conſtituant, *Phyſiol. p. 155.* Serum tripla quantitate excedere rubicundam ſanguinis partem, *Rivinus Diſſ. de S. prav.* ſtatuit. Plethora dignoſcitur ex laſſitudine corporis & ſanguinis turgeſcentia à leviore motu prægreſſo, ſudorem hinc non raro experiuntur hac affecti, & quia torporem junctum habent, motum quamvis minus bene averſantur, cœterum actiones animales bene ſe habent, appetitus viget, ſomnus eſt profundus cum jectigatione à lecti calore. Reliqua Plethoræ ſigna ad complicatam potius quam ſimplicem ſunt referenda.

§. IV.

Sed ad Aetiologiam. Ortum haber I. *A concurſu rerum Naturalium.* Nulla fere *Aetas* privilegio gaudet contra humorum abundantiam, propter aſſuetudinem Naturæ & rerum n. n. abuſum, omnes tamen antecedit Pueritia, quæ propter auctionem corporis illa opus habet, hinc pueri valde appetunt, ſub quo tamen prætextu voracitati anſam præbent, dum cibi palatum & linguam blande afficientes ad illam inſtigant; Juvenes, licet tanto apparatu non amplius indigeant, cum finita tertia ætatis periodo extenſio deſinat, voluptatibus tamen atque gulæ frenum laxantes, plus inſuper ex conſuetudine aſſumentes, Plethoram fovent; minime omnium hanc incurrunt Infantes, modo ſimplex illorum victus non varietur; magis vero Provectiores

ctiores,qui laboribus antea aſſueti, nunc otio atque appetitui indulgent, debitasque evacuationes negligunt. *Sexus* ſequior præ nobiliori illa præditus eſt, quoniam 1) ex decreto divino quandoque fœtum alit, 2) per labores abundantiam non æque conſumit ac viri, & 3) fœminæ tenera fibrarum atque corporis ſtructura præditæ tantum non excernunt, à fibrarum enim robore pendet humorum ſegregatio. *Siderum influxui* an aliquid tribuendum ſit, nos in medio relinquimus, prolixius hac de re egit *Mead, Anglus, tr. de Imp. Sol. & Lun.* & *Cel. Hoffm. Diſſ. de Sid. effic.* Hoc negari non poteſt, certa corpora à Lunæ Phaſibus alterari & premi, ſicque humores adaugeri, talis abundantiæ quam vaſorum conſtrictio cumulavit, meminit *Auth. Lib. de Dig. & Ventr. morb. in Act. Lipſ. 1714. Menſ. Apr.* certas etiam partes ſolidas augeri, probant *Rob. Boyle Exper. & Obſ. Phyſ. de var. ſubj. ad Phil. nat. pertin. C. V.* ubi obſervationem recenſet de Nobili quodam, cui cranium ex vehementiſſimo lapſu confractum Pleniluniorum tempore intumuit, atque modo citatus *Mead* refert ex *Sanctorii Med. Stat. Sect. I. Aph. 65.* hunc obſervaſſe, corpora virorum ſana & moderatiſſimo victu utentia ſingulis menſibus fieri ſolito ponderoſiora, & redire ad conſuetum pondus circa finem menſis, facta criſi per urinam. Hæmatoſis multum quoque debet *Structura corporis*, dari enim *Temperamenta*, quibus licet res anguſta domi tenuem vivendi modum imperet, ad plenitudinem tamen proclivia, demonſtrat *Foreſt. Obſ. Med. L. IX Obſ. X. Sch.* Tales ſunt, qui laxo atque ſpongioſo corporis habitu vaſisque exilibus præditi

diti cernuntur, verbo Sanguinei & Sanguineo-Cholerici, cum Melancholici ob ſtricturam corporis exundantiam minus foveant, & licet Phlegmatici humorum copia turgeant, ſeroſorum tamen potius farragine abundant. *Conſuetudinem* ſolam ſæpe in adultis Plethoræ cauſam exiſtere, jam aliquoties memoratum eſt, aſſueſcunt enim tales ad majorem pro neceſſitate ciborum aſſumptionem, aſſueſcit etiam Natura ad copioſiorem ſanguinis elaborationem, hinc ſenes vitam laborioſam cum ſedentaria mutantes illam incurrunt, neque pinguedo aliam ob rationem generatur. Cum denique multi morbi, præcipue ex ſanguinis vitio pullulantes per *hæreditatem* propagentur, non opus erit demonſtratione, an nimirum a parentibus athleticis eundem humorum ſtatum recipiant gnati, cum illud abunde teſtetur experientia.

§. V,

II. E cauſarum N. N. claſſe primo loco recenſeri meretur *Aer*, vitæ pabulum, qui magnam in corpora habet potentiam, internus à centro ad peripheriam premendo, circulationem ſuſtinet, cum externus à circum ferentia adcentrum tendat nimiamq; exhalationem impediat, quod ſi ergo hic illum virtute ſuperet,abundantiæ locus conceditur. *Venti* qui nil niſi motus aeris ſunt, humores ad augent, Auſter enim, (qui Zonam Torridam atque Africam percurrit, & tranſitu per Mare Mediterraneum vapores ſecum abripit,) calore ſuo atque humiditate fibras relaxat, ſecretiones retardat,

atque ita ſanguis non debito modo conquaſſatur ſec
cumulatur, & quia Athmoſphæram leviorem reddit
humores in vaſis expandit atque ad diſſolutionem di
ſponit. Boreas refrigerando aerem poros ſtringit
unde excernenda remanent, Ventorum igitur cogni
tionem Medico utilem olim jam agnovit *Cous L. de aer.
vent. & loc.* Idem fere fit ab *Hyemali frigore*, hin.
ſanguinem *Verno tempore* magis quam alio præſto e
ſe, ex *Hippocrate* refert *Valleriola Loc. comm. L. II.* i
lumque Majo præſertim abundare, probat *Foreſt. L.
IX. obſ. X.* Maxime autem omnium humorum copi
à malo regimine & minus juſta proportione *ciborum*
& laborum naſcitur, verum enim eſt, homines gul
nimium indulgere, & plus edere quam in corporis u
ſum diſpendi poſſit, ad ſummam usque repletionem
hanc voracitatem allicit varietas ciborum illorumque
palato gratus ſapor, ſimplex enim victus Plethoræ pro
ductionem impedit. Non prætereunda ſunt varia eſcu
lentorum genera, evpepta nimirum atque ex animali
bus præcipue junioribus deſumptæ carnes, Polychymi
anſam præbent, vegetabilia vero minus nutriunt. Nc
tamen omnes ex neceſſitate fiunt Plethorici, per *Mo
tum* enim corporis illud quod ſuperfluum eſt conſi
mitur, hinc qui laboribus corpus exercent & ruſti
abundantiam minus fovent, Magnates autem illius in
commodis frequentius ſubjiciuntur, maxima tame
mortalium pars otioſam vitam tranſigit. Fruſtraneum
foret repetere, quod *Secretiones* atque *Excretiones* de
bitæ intermiſſæ humores augeant, ad *Animi* igitur *Pa
themata* progredeundum. Dantur quæ M. S. exagitan

e.

e. g. Iracundia, dantur quoque quæ illam inſpiſſare valent, Terror videlicet atque Triſtitia, quod vero Plethoram immediate generent, credibile haud eſt.

§. VI.

Neque *III. Res P. N.* ſunt reticendæ, cum eædem humorum abundantiæ non raro portam pandant. Per res autem p. n. nil aliud quam ipſos morbos intelligendos eſſe, recte docet *Hippocrates*, dum morbum à morbo naſci *L. de tuend. ſan. Tit. VIII.* ait. Sane ipſa *Plethora*, ob motus averſionem ſecretionumque impeditiorem ſucceſſum, majori humorum auctioni veſtigia legit, quo major enim ſanguinis copia, eo minorem ſecretionem eſſe, aſſerit *Lancis. Diſſ. III.* Præcipuum autem momentum ab *Evacuationum conſuetarum retentione* petendum eſt, & quidem 1) *Naturalium.* A *Sudorum* retropulſione ſanguinis abundantiam & ſpiſſitudinem generari, neminem contrarium habebimus, cum per *Sanctorii* menſurationem conſtet, unico die plus per diapnoën quam quindecim ſpatio per reliqua colatoria excerni; idem de *Lochiorum* ac *menſium* ſuppreſſione valet, Menſium enim fluxum ſanguinis deplendi gratia inſtitui, ſuperius demonſtratum fuit. 2) *Ad Præternaturales* pertinent *Hæmorrhagiæ*, de quarum ſuppreſſione atque noxis ſequens Sectio mentionem injiciet. Experientia teſtatur, *Criſes febriles*, ſive ſub forma halitus ſive ſinceri ſanguinis contingant, ſuppreſſas, accumulationi humorum imo non raro lethalibus eventibus viam ſternere, ab *Excretionibus ſero-*

ſis, certo alias tempore per diarrhœas aut coryzas inſtitutis, non rite procedentibus, ut & Scabiei retropulſione idem expectandum erit, ut de aliis taceam. 3) *Evacuationes arte factæ*, e. g. *V. S.* conſuetæ neglectæ, varios morbos, imo non raro ſubitaneam mortem producunt, vid. *Dion. Diſſ. de mort. ſubit.* Quod attinet *Fonticulorum* atque *Vlcerum* diu manantium conſolidationem, vulgo conſtat, humores cum ſummo ſæpe vitæ periculo in corpus redundare. *Partium ſolidarum p. n. conſtitutio* præcipue fibrarum Atonia univerſalis anſam Phlethoræ præbet, à fibrarum enim robore & strictura illius generationem prohiberi notum eſt ejusmodi fibrarum in certa tantum parte contingens relaxatio Plethoram particularem conſtituit. Chirurgis tandem notum eſt, illos qui artuum *Amputationem* perpeſſi ſunt ſanguinis abundantiæ quam ſæpiſſime ſubjectos eſſe, ut ſingulis menſibus illum evacuare opus habeant, in hiſce enim ex conſuetudine ſemper eadem quantitas generatur ac antea, licet inſignis corporis portio deficiat.

§. VII.

Quamvis juxta Canonem Natura paucis contenta ſit, illam tamen, ſi rem exactius æſtimemus, ſanguinis exundantiam expoſcere, ſuadet 1) neceſſaria partium propter motus ſanguinis conquaſſatorios & apoſpaſmatum excretiones amiſſarum, reſtitutio, opus enim eſt ut illud quod ſeceſſit, reparetur. 2) Augmentum corporis in junioribus cauſam eſſe Plethoræ

ſul

ſub ejus Exiſtentia allegatum eſt, 3) eadem Theſi examinatum fuit quare fœminis dono dato ſit. 4) Denique à moderata ſanguinis copia pendet robur corporis, hinc neceſſaria utique eſt, illi enim qui per nimias evacuationes inſignem illius quantitatem perdidere, virium defectum incurrunt, quas in ipſo ſanguine conſtare S. S. teſtatur; major tamen illius gradus vires potius imminuit.

§. VIII.

Sæpius hæc allegata ſanguinis abundantia in varias diſpeſcitur claſſes: Ratione *Quantitatis* alia eſt *Levis*, alia *Summa*, alia *Media*, vid. *Sebiz. Spec. Med. Pr. T. II. P. IX. C. IX.* Alia porro eſt *Abundantiæ*, ubi ſimpliciter abundat ſanguis, alia *Exundantiæ*, quando turgeſcentiam concepit, congeſtiones atque reſtagnationes molitur, eodem modo in *Quietam* & *Commotam* dividitur. Alia eſt ad *Vaſa*, *Tenſiva*, Τονώδης dicta, alia ad *Vires*, *Gravativa*, huc quadrat diſtinctio in Plethoram *ad Juſtitiam* & *Pondus*. Reſpectu *Qualitatis* eſt vel *Pura* & *Simplex*, quando bonus nulla qualitate imbutus ſanguis abundat, vel *Spuria* & *Cacochymica* à priori orta, ubi nimia quantitas motum retardando ſpiſſeſcentiam & dyſcraſiam ſanguini attrahit. Ratione *Temperamenti* eſt vel in *Poris* corporis, quæ ſucculentis, & Sanguineo-Cholericis familiaris eſt, vel in *Vaſis*, in macilentioribus, habitu corporis ſtricto & vaſis amplioribus præditis reperiunda. Diſtinctio in *Veram* & *Apparentem*, quamvis inutilem

& ſuperfluam illam cenſeat *Albert. in Intr. in Med*, negligenda non eſt, dantur enim, quos licet pro ſumme Plethoricis vendites, tales non ſunt, v. g. ad Phthiſin aut Hecticam inclinantes plerumque faciei rubore & turgeſcentia ſunt præditi, tantam vero copiam non fovent quæ apparet, cum inteſtinus humorum motus horum ſymptomatum cauſa exiſtat. Reliquæ diviſiones, in *Vrgentem*, *Turgentem*, *Vniverſalem* *Particularem*, quoniam cum allegatis coincidunt, au recenſionem vix merentur, ex Authoribus peti poſ ſunt.

§. IX.

Ne autem quemvis floridum atque turgidum cor poris habitum pro Plethorico me venditare quis putet ſanguinis exundantiam diverſam eſſe cenſeo: I. *A Corporis robore & augmento connato ſive naturali*, ro bur enim à fibrarum ſtrictura pendet, moderata qui dem ſanguinis quantitas ſuſtinet vires corporis, nimi vero illas potius ſuffocat. II. *A Corpulentia nimia ſiv obeſitate*, dantur enim Athletici, qui proportionat majorem ſanguinis copiam non poſſident ac macilen tiores, (alias Plethoræ morbis ſemper ſubjecti eſſent,) ante cedentem autem corpulentiæ cauſam illam fuiſſe, certo nos facit pinguedo in obeſis copioſa, eadem fere eſt conditio habitus ſpongioſi & Sanguinei, ubi ſangui copioſe intra fibras remorari amat. III. Turgen quidem *Cachectici*, non â ſanguine ſtricte dicto, ſe ſeri & lymphæ ſtagnatione, in hiſce enim parum ſan

guini

guinis reperiri, probant *E. N. C. Cent. I. & II. Obſ.* 105. IV. *Affectus Scorbuticorum*, enormes nimirum illorum hæmorrhagias, pro paſſivis, à fluxilitate & acrimonia humorum pendentibus, habendas, non vero cum activis ex abundantia pullulantibus confundendas eſſe, quilibet ſolidæ Pathologiæ gnarus confirmabit. Neque V. *Impetuoſus in Cholericis ſanguinis orgasmus atque motus* pro ſimplici Plethora reputandus erit. Differt hæc quoque VI. *A doloribus ſpaſticis in conſuetudinem degeneratis*, qui ſublata licet cauſa, ſanguinis nimirum copia & ſpiſſitudine perverſe ſæpius remanent. VII. Denique calorem & *turgidum Hecticorum aſpectum* Plethoram quidem ſimulare, ſub differentiis monitum fuit, latet enim ſæpius anguis in herba, uti *VVedel. in Path. Med.* effatur, qui tales pomis rubellis à latitante verme corruptis comparandos eſſe cenſet. Atque hæc de Naturali Plethoræ ſtatu dicta ſunto.

SE-

SECTIO II.
PATHOLOGICA.
CAP. I.
STATUM PLETHORÆ P. N. IN GENERE DECLARANS.

§. I.

CUm igitur ſanguis â continuo ſui divulſorio motu in tenue ſalino - ſulphureum colliqueſcat ſerum, à cujus excretione illius ſubſtantia imminuatur, continua quoque ejusdem per alimenta reparatione opus habere, Plethoram itaque conſulto fieri, atque in ſumme quoque naturali ſtatu reperibilem eſſe, eſt quod huc usque demonſtrare auſus fui. Redditur vero citata hæc ſanguinis quantitas variis, imo quamplurimis Machinæ humanæ imbecillitatibus valde opportuna, quas conjunctim æque ac ſeorſim contemplari, hacce Sectione libuit. Vitam motu ſanguinis & quidem progreſſivo conſervari, ne Tyrones Artis noſtræ latet; ſed hic Rhodus, hic ſalta! quod in ipſo quoque corpore deſtructionis lateant rudimenta, non ſolum enim ipſa hæc tolerata abundantia motui atque fluxilitati ſanguinis obicem ponit, cum ex ſimpliciſſimis Mechanicorum regulis pateat: mutua humorum

humorum atque ſolidorum proportione ſublata; adeo ut movens movendo jam impar ſit, liberum progreſſum turbari; ſed & ſanguinis conſtitutio ita comparata eſt, ut ob partes concreſcentiæ gelatinoſæ ſumme obnoxias putredinoſam corruptionem producendo, machinam deſtruat, quando videlicet a motu attenuatorio partes ſumme agiles ſulphureæ evolvuntur, quæ ſi ſtaſis ſanguinis acceſſerit, facillime in ejus ſubſtantiam agunt, illiusque partes a ſe invicem diſſolvunt. Hinc certe mirandi non ſunt lethales ſæpius inde pullulantes effectus: jam *Galeno* olim atque *Oribaſio* notæ erant multæ ex ſola plenitudine ſubitaneæ athletarum mortes, idem quoque cum *Lanciſio de mort. ſubit. L. 2. C. 3.* hodierna frequens affirmat Experientia, ſi ſolam tantum intueamur apoplexiam; hoc vero potius admiratione dignum cenſeo, talia immodicæ abundantiæ ſubjecta diu vivere quam cito perire, ſtupenda nimirum meatuum atque vaſculorum quæ ſanguis permeare cogitur, ſtructura, præcipue in pulmonibus conſiderata.

§. II.

Hæc tamen præceps ex abundante copia pronata corruptio tam frequens non æque exiſtit, ac modo recenſita ſanguinis natura nobis perſuadere poſſet, dum labes hæc continua per poroſam muſculoſarum partium ſubſtantiam transpreſſione præcavetur. Succeſſu vero temporis aliud ex quantitate profluere ſolet vitium, nempe *Qualitatis*: poſita enim Plethora opus eſt, ut vel motus ultra conſuetam proportionem augeantur, (major enim menſura & pondus majorem quoque ex-

C poſci

poſcit motuum intenſionem,) vel ut denegato illo craſſior illius conſtitutio ſuboriatur; verbo motum ſanguinis impeditius ſuccedentem *Spisſitudo* immediate ſequitur, quæ concurrente partium diſpoſitione, toni nimirum energia deſtructa & meatuum anguſtia, ad ſtagnationem, ſtaſin, tandemque corruptionem putredinoſam vergit; & hoc quidem vulgo notum eſt, ſanguinem e ſecta vena eductum atque ſic conſueto motu privatum, ſpiſſam primum conſiſtentiam & paulo poſt ipſam ſtaſin diſſolutoriam ſubire: de ejusmodi ſpiſſeſcentia quotidiana teſtatur Experientia, & ſanguinis craſſiſſimi e vena diſciſſa erumpentis, ita ut vulnus trium digitorum transverſorum infligere opus fuerit meminit *Borell. Obſ. med. Cent. IV. obſ. 93.*

§. III.

Plethoricos præ aliis ſumme obnoxios morbis eſſe hiſque correptos gravius decumbere, ſuo jam tempore confeſſus eſt noſter *Hippocrates*, idem per experientiam quotidie videmus, quo major enim ſanguinis abundantia præſto eſt, eo major quoque in morbos propenſio. Hinc Plethora ad morborum productionem confert *I. vel Magis vel Minus*, quatenus 1) *vel inſignior eſt vel minor:* ſive gravitatem morborum, qui inde veniunt conſideres, ſive etiam ſpectes eorundem impetum atque frequentiorem recurſum; 2) *vel ſola vel cum Cacochymia conjuncta eſt Plethora*: ſimplex enim tam graves ac multiplices morbos non producit quam ſi ſpiſſitudo ſimul conjuncta eſt; 3) *quatenus vel ſibi relicta vel magis minusve commota eſt:* illa raro p. n. corpus afficit, cum juxta notiſſimum Medicorum

aſſer-

aſſertum Plethora non agat niſi commota; hæc ergo tantorum malorum, quorum in ſequentibus mentio fiet, mater exiſtit. *II.* Dantur morbi Plethoræ, qui vel *Proximius* inde ortum trahunt, vel *Remotius.* Illi qui *proxime* ſanguinis abundantiam ſequuntur, ſunt vel expanſiones orgaſticæ, unde dolores gravativi & oppletivi varii, vel æſtus volatici, dolores item lancinantes pulſui ſynchroni & ſimplices inflammationes; vel ſunt varii generis hæmorrhagiæ & motus ſpasmodici illarum promotionem reſpicientes; vel denique conſumptiones quantitatis per motus febriles, febres puta continentes. *Remotius* autem à Plethora provenientes affectus ſunt, ubi interveniente alia cauſa oriuntur paſſiones, quarum antecedens fuit ipſa ſanguinis abundantia, ejusmodi ſunt hæmorrhagiæ vel ob ſpiſſiorem craſin vel viarum atque meatuum anguſtiam non perrumpentes adeoque ſuppreſſæ, congeſtiones hinc circa viciniam obortæ, infarctus, ſtagnationes, ſtaſes, corruptiones ſanguinis & extravaſationes, exulcerationes item atque conſumptiones partium, exempli loco ſint menſium atque hæmorrhoidum non ſuccedentium conſectaria, malum hypochondriacum, phthiſis, hectica, hydrops, febres denique continuæ & intermittentes. Non multum à priori recedit *III.* Diſtinctio in affectus *Simpliciter & Accidentario* ex Plethora pullulantes. *Simpliciter* ſive *per ſe* ſpectatum hoc ſanguinis vitium alia mala non infert, quam ſenſum oppletivum, tenſivum atque ſanguinis turgeſcentiam a motu, & ubi temperamentum atque partium conſtitutio conſpirant, ſinceras ſanguinis excretiones; quæ ſi in actum non ed i-

cuntur, ope motus conquaſſatorii atque diſſolutorii febres ephemeræ & ſynochi generantur. *Accidentario* autem à Plethora oriri dicuntur morbi, quos ab alia cauſa productos abundantia præſens graviores reddit.

§. IV.

E quibus patet, maximam in Medicorum ſcholis attentionem mereri diſtinctionem inter *Morbos à Plethora ortos & cum illa conjunctos.* Prioris cenſus, ſive illam tanquam proximam ſive remotam & antecedentem agnoſcant cauſam, ſunt ſupra jam recenſiti ejusdem *Cap.* §. 3. nomine vel ſinceræ evacuationis per hæmorrhagias, & hiſce non ſuccedentibus nunc per ſtagnationes circa locum excretionis congeſtorias, nunc per motus tonici intenſiones; vel reſolutionis in ſerum, motu ſanguinis transpreſſorio per colatoria aucto, quo ſanguinis particulæ à ſe invicem divelluntur, recrementitiæ excernuntur, & labes ſi quæ viſceri ineſt removetur, uti id in febribus contingere infra dicetur. *Affectus cum Plethora* juncti dicuntur, qui ab alia producti cauſa ſæpius jam citatam abundantiam comitem habent, à qua illorum impetus major atque duratio longior redditur, ideo quia humoribus non tam frequens atque liber patet tranſitus per loca ſe- & excretoria, unde fortiores ut motus inſtituat Natura neceſſe eſt; hoc cernere licet in febribus epidemicis, ut & vulnerum hæmorrhagiis, quas enormes ſæpe reddit juncta ſanguinis inſignis copia.

§. V.

Conſideratis nunc quæ generatim de Plethoræ no-

xi-

xis prælibare e re eſſe duxi, ſpecialius quoque de horum affectuum differentiis præcipuis diſſerendum erit. Nituntur autem illæ *I. Aetatibus*, pro ratione enim diverſarum periodorum loca ſanguinis excretionibus deſtinata variant, dantur quippe eruptiones è naribus, pulmonibus, ventriculo, renibus, vaſis hæmorrhoidalin bus, &c. quas ſingulas certis ætatibus proprias eſſe, experientia confirmavit *Stahl. Diſſ. de morb. ætat. fund.* *Infantibus* quidem actuales ſanguinis excretiones rarius contingunt, diſponunt tamen *Pueritiam* ad narium Hæmorrhagias congeſtionibus in capite familiaribus; & quidem 1) ob frequentem atque negligentem frigoris ad hanc partem admiſſionem illiusque excalefactionem, 2) congeſtiones humorum à dentitione prolicitas, ut & frequentiores infantium ejulatus ad lividum faciei colorem usque continuatos, 3) frequentiorem cerebri uſum ejusque perfectionem in pueris, memoriæ ſc. fatigationem. *Juvenes* Hæmoptyſi ſubjecti ſunt, hinc reſtitante ſanguinis portione in pulmonibus Phthiſin facile incurrunt, jam olim obſervante *Hipp. Sect. III. Aph. 29.* In *ætate provectiore* ſanguis ad hæmorrhoides internas vel externas deſtinatur; illæ ob impeditiorem circa Venam Portæ ſanguinis motum, malum hypochondriacum, vomitum cruentum & pathemata hiſce vicina pariunt; ſi vero de externis agitur, arthritica & nephritica ludunt dramata. Cauſam hujus ad inferiora ſanguinis reſtrictionis credunt neceſſarium pro copioſiore ſeminis elaboratione affluxum, uti juniorum ad pectus afflictiones in voces circa pubertatis annos mutatione poſitam eſſe volunt. *Senibus* ab hæmorrhoidum propter energiam Naturæ

 elan-

elanguentem ceſſatione, interdum Mictus cruentus contingit, omnium vero maxime incurrunt Palindromen humorum valde periculoſam, unde non raro apoplexias fieri obſervamus.

§. VI.

Non minus *II.* Sanguinis morbi *Sexus* ratione differunt. Quamvis mulieres *Coi* noſtri effato morbos bis patiantur, ob menſium tamen fluxum multos effugiunt qui ſanguinis coacervationi & ſtagnationi debentur, hinc phthiſis in hoc ſexu infrequentior eſt; ſed nec omittendum, iſtum à ſuppreſſione dicti fluxus varios incurrere affectus, præcipue ſpasmodica circa viſcera V. P. pathemata, ob ſpiſſitudinem ſanguinis peculiarem, quae non raro propter genus nervoſum valde ſenſibile in convulſiva degenerant. Sic & Vomitus ſanguineus ſequiori ſexui eſt familiarior, virili vero Haemorrhoides ac Mictus cruentus frequentiores. *III.* Ad quosnam morbos diſponant *Temperamenta*, *Hoffm. Id. Med. fund.* demonſtravit. Horum varietas multum ab *Habitu corporis* pendet, *laxus* nimirum atque *ſpongioſus* vaſisque exilibus inſtructus *Sanguineo* potiſſimum temperamento competens, quod quia multum ſanguinis in partibus ſolidis alit, minus hæmorrhagias enormes experitur, hinc ſingulis periodis congeſtiones verſus excretionis loca incurrunt; inſuper ad ſtaſes atque corruptiones inclinant; ab eadem ſtructura eſt, quod quia perruptionibus non ſemper patet locus, molimina majorem niſum expoſcant, ſtricturam nempe pororum, hinc ſpongioſi ad ſpasmos valde proclives ſunt; adeo ut vix inveniantur ſanguinei habitus qui non

ſpas-

ſpasmodicis vexentur pathematibus, & plerique ſpasmis afflicti ſint vel fuerint plethorici Multo tamen felicius hi ſanguinei ferunt abundantiam quam qui *macilento* habitu & vaſis amplioribus gaudent, hi ſpasmodicos illos affectus circa capaciora experiuntur vaſa, atque hæmorrhagiis magis obnoxii ſunt cum hoc diſcrimine, quod hæmoptyſis huic ſtructuræ propria ſit, cum reliquæ ſpongioſis quoque contingant. *Cholerici* ob inſignem ſanguinis æſtum ad fluxus impetuoſiores, febres & quidem auctiores propius inclinant; *Melancholici* autem ſicuti in ſtatu naturali ita quoque in p. n. ad incarcerationes & ſtagnationes humorum proclives ſunt, affectus item hypochondriacos, lienis infarctus, indurationes, exulcerationes, præcipue autem Hæmorrhoides internas. *Phlegmaticum* tandem Temperamentum, quod tamen proprie huc non pertinet, ſeroſis humoribus fibris intimius impactis turgidum, ad ſeroſos diſponit affectus, eodem tamen ætatum ac locorum excretoriorum ordine ſervato quem ſanguinis fluxiones habent, hinc ſtagnationes facile ſeroſas incurrunt, flatulentias, aliasque toni debilitates, quibus coryzæ, gravedines, tuſſes, vomitus, diarrhœæ, cachexia, hydrops, œdemata, ulcerationes & corruptiones ſalſæ, eroſiones, &c. debentur.

§. VII.

Huc referri quoque meretur *IV. Diſpoſitio Hæreditaria:* ſicuti enim videmus ſtaturam corporis, lineamenta, animi mores atque inclinationes à parentibus in filios propagari, ita quoque certas p. n. afflictiones in illos transferri liquet; ejusmodi autem ſunt motus, & qui-

quidem excretorii humorum, atque propter hos contingentes motus tonici intenſiones, hinc ſanguinis fluxiones, ſpasmos, arthritides, calculum in liberis reperiri Praxis confirmat: phthiſi laborantes ſi prolem generent, illi hoc malum communicant, cachexiæ item atque hydropis à matre in filium translatarum, a quibus eodem, anno, die, iisdemque ſymptomatibus periit, meminit *Berens Diſſ. de Pleth. compl. cum Cacoch.* De *Animi affectibus* quotidiana compertum eſt experientia, magnam illos in corpus humanum potentiam habere; quo graviora enim ſunt hæc pathemata, eo major propenſio ad morbos: animus impatiens, ſenſibilior, ad iracundiam pronus, ſanguineo-cholericus, excretiones quidem humorum molitur, nimis tamen cito ab illis iterum deſiſtit, ſpasmodicos hinc producit affectus; qui e contrario terrori atque triſtitiæ nimium dediti ſunt, affectibus ex ſpiſſitudine pullulantibus, ſuppreſſionibus excretionum, infarctibus, ſcirrhis, &c. anſam præbent.

§. VIII.

Morbi ex Plethora orti differunt porro *V.* Juxta *Aëris conſtitutiones. Calidus* & *humidus* aër ut & *Venti Auſtrales*, ſanguinem inteſtino motu exagitantes, ad excretiones quidem diſponunt, ob fibrarum autem atoniam illis impedimento ſunt, hinc ad putredinem inclinante M. S. febres, præcipue continuæ & malignæ generantur, talis inſignis ſanguinis reſolutionis, quæ ſubitaneæ mortis cauſa fuit, meminit *Nenter. Pathol. Cap. de Cauſ. morb. n. n.* idem à ſubita aëris & ventorum mutatione, præcipue Auſtri in Boream, con-

tingere

tingere poteſt, placet in hujus rei probationem allegare *Hippocratem Sect. III. Aph. 16. 17.* Aquilonares & Occidentales ventos corpora graviora reddere, probat *Horatius*, qui plumbeos illos dixit, vid. *Hiſt. Vratisl. 1699.* Boreas qui propter frigus fibras ſtringit, ſanguinemque in poris contentum ſtagnare facit affectus ſpasmodicos producit, & propter impeditum tranſpirationis ſucceſſum, translationes ad viſcera, obſtructiones, inflammationes, pleuritides parit. *Anni tempora* ſingula certos ſuos morbos pati, probat idem *Hipp. Sect. III. Aph. 19.* Circa *Aequinoctia*, præcipue Vernum maximæ fiunt in œconomia animali alterationes, hinc morbi chronici hoc tempore ſolvuntur vel in pejus vel melius, exemplo ſint phthiſici & quartana; frequentes etiam ſunt febres & hæmorrhagiæ, a collectis per hyemem humoribus: Autumno, propter inconſtantes frigoris & caloris viciſſitudines inæqualis ſanguinis motus producitur, tonum vero ab effluviis relaxatum ſequuntur ſtagnationes circa viſcera. Circa *Solſtitia* natura eſt imbecillima, præcipue hybernum, quo ſecretiones ad libram minus procedere *Sanctorius* obſervavit; æſtivum facile producit febres bilioſas ardentes, quia maſſa humorum valde incaleſcit & partes ſulphureæ evolvuntur, vid. *Hoffm. Diſſ. de ſider. effic. & de Vent. potent.* Quemadmodum *Victus ratio* abundantiam generat, ſic quoque varia illius incommoda producit. Quo plus aromatica, ſpirituoſa & ſanguinem exagitantia aſſumuntur, eo magis vel hæmorrhagiæ enormes vel illarum ſuppreſſiones vel febres excitantur; acida vero flatulenta atque mucoſa morbos ex

ſpiſſitudine, ſtagnationes puta, obſtructiones &c. producunt. Omnium vero maxime, ex *Potus* atque *Motu* neglectu varia oriuntur mala: liquida enim tripla ciciter quantitate cibos ſuperare debent, ſi ſanguinem dyſcraſia ſpiſſa præſervare velis, & hoc quidem ex ipſ ſanguinis ſtructura patet, quippe qui ex unica tantum ſolidi, tribus vero ſeri partibus conſtat; quod vero a motum attinet, illius neglectum ſpiſſitudinis præcipu am & maximam fere cauſam exiſtere, nemo inficia ibit; & hoc quidem notari meretur, vitam ſedentar am præcipue incurvato corpore, ob compreſſionem trunci V. P. viſcerumque connexorum, impedito ib dem ſanguinis motui atque morbis ex ſpiſſitudine or undis anſam præbere, videmus hinc illos qui libris aſſ due incumbunt malo hypochondriaco frequentius ve xari, & ſequior ſexus, qui tam contra motum quam potum utplurimum peccat iisdem pathematibus obno xius eſt; illi vero qui nimio motu corpus exercent inæqualem ſanguinis circulum reddunt, ideoque in farctibus, ſtaſibus, vagis ſanguinis motibus, febribu valde obnoxii fiunt. Neque contemnendus omnin eſt *Siderum influxus*: licet Veteres in formanda cri nimium tribuerint *Lunæ*, non habito reſpectu ad cau ſæ morbificæ conditionem, negari tamen non poteſt illius phaſes magnam habere potentiam, e. g. in ep lepſiæ paroxyſmis revocandis, fluxu item menſtruo *Solis* curſum variæ reſpiciunt febres, ſynochæ nim rum illius ortum, meridiem tertianæ, catarrhales o caſum.

§. IX

§. IX.

Tandem quædam de *Conſuetudine* addenda ſunt: in quam facillime degenerant 1) Hæmorrhagiæ, ita tamen, ut levi data occaſione ex præteritarum periodorum locis redeant, hinc ſenibus palindrome imminet, adoleſcentibus vero ſæpe narium hæmorrhagiæ remanent usque ad 30. annum, diæta nimirum otioſa atque vinoſa accedente, ut reliquos errores circa victum taceam; 2) a Congeſtionibus activis adeo aſſueſcit pars affecta, ut poſtea paſſivis irruptionibus facilior pateat aditus; & 3) omnes fere Spasmos ob conſuetudinem pertinaciter continuari, cuivis patet, exemplo ſint arthritici, nephritici, hyſtericæ. *Conſuetudo remediorum* plethoram iminuentium ſi negligatur, morborum mater fit: quis enim neſcit, V. S. æquinoctiales aliasque ſanguinis ſinceri evacuationes neglectas, ſpiſſitudinem, congeſtiones, infarctus viſcerum, febres ſæpe malignas ſequi, quibus ſæpius ipſa Natura vel per ſpontaneam hæmorrhagiam, vel diarrhoeas obviam it. Venæſectiones ſæpius repetitas ad febres diſponere, *VVilliſius* obſervavit, illas enim citior ſanguinis reſtitutio ſequitur, quæ poſtea mediantibus motibus febrilibus iterum conſumitur. Perverſus vulgi mos eſt, appropinquante ſenio a ſanguinis miſſionibus deſiſtere, ex falſo ſuppoſito: Man ſolte alten Leuthen vielmehr Geblůth in den Leib kauffen / als herauß laſſen: unde frequentes ſunt Plethoricorum apoplexiæ. *Senſibilitas ſubjectorum* ob leviſſimum errorem commiſſum in morbos illa projicit, cum reliqua à centeſimo vix alterentur: tales ſunt præcipue fœminæ

& qui animi pathematibus valde obnoxii ſunt ; manifeſte enim obſervatur, iram, terrorem, in hyſtericis atque hypochondriacis malum aut generare aut fovere. Eadem ſenſibilitas circa aëris alterationes atque diætæ errores conſpicua eſt : Sanguineo-Cholerici ob fibrarum ſenſibilitatem à levi iracundia aut diætæ vitio ſpasmodicas experiuntur exacerbationes. Senſibiliores ab hæmorrhagiarum ſuppreſſione ſpasmis afficiuntur, cum ſegniores infarctibus & ſtaſibus obnoxii fiant.

CAP. II.

MORBOS EX PLETHORA ORTOS IN SPECIE TRADENS.

§. I.

PAthologiam morborum ſanguinis in ſynopſi exhi
biturus ſtatuo, illius ex abundantia impedito ſuc
ceſſui , ſpiſſitudinem, ſtaſin ac tandem corruptio
nem ſuccedere, cui avertendæ nullum commodius da
tur remedium quam imminutio ſanguinis , vel eva
cuatione ſinceri , vel reſolutione in ſerum ; hoc in fe
bribus, illud vero in hæmorrhagiis contingit. H
dictæ Hæmorrhagiæ quando vel ob ſpiſſiorem ſangu
nis craſin , vel anguſtiorem viarum diſpoſitionem
vel denique externarum rerum concurſum non ſucce
dunt ; aut motus tonicus illarum promotionem reſp
ciens augetur, quod ſpaſmis, aut relaxatur, quod con
geſtioni ad locum affectum anſam præbet. Non mi
nus ab extenſione partium dolores congeſtorii , tan
dem ſtagnationes humoris ibidem contenti fiunt , un

C

de intumeſcentia atque infarctus, ſtaſes, inflammationes, denique corruptiones ortum trahunt. E quibus velut in compendio apparet, quam late ſeſe diffundat humorum Pathologia. Sed præmiſſis his ad *Hæmorrhagias*, modum ſanguinis imminutorium longe promptiorem atque faciliorem præ febribus, ab internis cauſis ortas puta, quas neque ab acrimonia neque obſtructionibus fieri, probat ſtatus illarum recurſus ſanis utplurimum cum euphoria contingens, atque pathematum ex acrimonia naſcentium abſentia. Eveniunt autem plerumque ſucculentis, vegetis, junioribus, animi pathematibus atque gulæ indulgentibus, concurrente utplurimum cauſa occaſionali externa, turgeſcentia atque commotione ſanguinis. Antequam erumpant, præcedit toni in remotis partibus conſtrictio, mediante qua ſanguis ad locum excretioni deſtinatum congeritur, unde vaſorum ibidem præcipue venoſorum inflatio, tumor, dolor, calor & rubor derivanda; ſanguinem debita quantitate excretum ſequitur euphoria. In ſpecie variant ratione Loci per quem evacuatio inſtituitur, & quidem ſecundum Ætates, cujus rei ætiologiam in præcedenti Capite tradidimus, quem ordinem morbi ab illarum ſuppreſſione orti quoque ſervant. Excretiones ſeroſæ non differunt ab his niſi temperamenti ratione, cum eundem ac hæmorrhagiæ ætatum atque locorum excretoriorum ordinem ſequantur. Sunt denique vel periculoſiores, rationi loci atque impetus, hæmoptyſis nempe, vomitus ac mictus cruenti, vel minus tales, ad quas reliquas hæmorrhagiarum ſpecies referimus.

§. II.

Brevitas, cui unice ſtudendum ſuadet, ut ſingulas paucis examinemus. *Narium Hæmorrhagias* ephebis atque adoleſcentibus ſolennes eſſe, ſupra jam meminimus, non raro etiam provectioribus fiunt ex Palindrome, non absque vitæ periculo. Antecedit toni in inferioribus adſtrictio, in ſuperioribus relaxatio, unde caput rubet & dolet, vaſa colli atque oculorum intumeſcunt, illa temporum juſto magis pulſant, pruritum tandem narium ſequitur eruptio. Hæ non rite ſuccedentes, varios morbos illarum reditum molientes excitant, quos ſub hæmorrhagiis ſuppreſſis memorare placet. *Hæmoptyſis* juvenili ætati familiaris ordine illam excipit; periculoſiorem hanc eſſe dixi, tum quia facile pulmonum exulcerationi ob reſtitantem ſanguinis portionem anſam præbet, tum quia effrenis ſæpius ob continuum pulmonum motum redditur hæmorrhagia; concurrit ſpaſtico-rhevmatica humeri, ſcapularum atque thoracis afflictio, & tacite plerumque absque tuſſi erumpit, cum titillatione & raucedine faucium: hoc quoque peculiare habet, quod macilentis ſemper atque Cholerico-Melancholicis eveniat. *Menſes*, quia ordinaria Naturæ lege contingunt, hic recenſere non libet. *Hæmorrhoides* virili atque conſiſtenti ætati propriæ, non adeo frequentes ſunt quam illarum molimina, propter impeditiorem per hæc loca exitum. Diſtinctio in *internas* & *externas* magnam in Pathologia utilitatem habet, partim ratione originis, quæ in illis Vena Portæ, in his vero Cava exiſtit, partim ratione morborum conſequentium; internæ juniores,

Me-

Melancholicos, & qui vaſa capaciora habent afficiunt, externæ poroſiores. Cœterum viris frequentiores ſunt præ fœminis, ob menſtruum fluxum; plerumque cum alvi ſcybalis aut tenesmode ſaltem conatu excernuntur, variis ſpaſticis moliminibus præcedentibus. Præter reliqua pathemata quæ illarum ſuppreſſionem ſequuntur, novæ quandoque hæmorrhagiarum ſpecies exurgunt, *Vomitus* nimirum *ſanguineus*, à reſtrictione ſanguinis venæ hæmorrhoidalis internæ in ramum ſplenicum pendens, & ſequiorem magis ſexum ataxia menſium laborantem infeſtans, hic non minus periculoſus exiſtit ac hæmoptyſis, à qua ex ſanguine ſpiſſo, nigricante, dignoſcitur; alteram ſpeciem *Mictus cruentus* conſtituit, ab externarum hæmorrhoidum imminutione natales plerumque ducens, viris quidem in ſenili ætate conſtitutis familiarior eſt, fœminæ tamen hoc malo laborantis meminit *Hiſt. Vratisl. 1699. p. 31.*

§. III.

Ubi igitur ſanguis non adeo excedit, præterea ſatis adhuc fluxilis, & energia vitalis atque ætas vegetior eſt, temperamentum etiam conſpirat, ibi dictæ Hæmorrhagiæ ex vota ſuccedere ſolent; ubi vero hæc contrario modo ſe habent, impetuoſus item ſanguinis motus, meatuum anguſtia, aliaque concurrunt, *Suppresſiones* illarum invaleſcunt, quæ maximum morborum numerum pariunt. Vel enim Palindrome ad præcedentis ætatis hæmorrhagias inde fit, unde menſibus vel hæmorrhoïdibus cohibitis, hæmoptyſes, hiſce autem ſuppreſſis narium hæmorrhagias recrudeſcere, ſolenne eſt; vel reſtrictiones atque Congeſtiones in vicinia

aut

aut ipſa parte affecta contingunt, ſanguinis perruptionem intendentes, quam ſi non obtinuerint, aut tonus ſolidarum partium deſtruitur, unde majores ſanguinis in partem affectam irruptiones atque meatuum expanſiones, quas dolores tenſivi,lancinantes, ſtagnationes, ſtaſes, inflammationes, febres, corruptiones ſequuntur; vel tonus ille qui ad propreſſionem humorum requiritur p. n augetur, unde varii ſpasmodici affectus oriuntur. E quibus conjicere eſt, quam amplus morborum campus ex ſola humorum retentione ſeſe aperiat, proinde ſingularum hæmorrhagiarum non ſuccedentium conſectaria ut examinemus, operæ pretium eſſe ducimus.

§. IV.

Congeſtiones a priſcis Medicis nomine decubitus, translationis indigitatas, ob hæmorrhagiarum promotionem fieri e dictis patet. Bene easdem in *completas* & *incompletas* diſtinxere: iſtas vocarunt tales ſanguinis reſtrictiones, quæ proxime ad partem excretioni commodam & deſtinatam fiunt; ſub his vero remotas a perruptionis loco humorum translationes, eminus ſaltem illam reſpicientes, & ad loca evacuationi minus apta factas intelligentes. Non erubeſcunt aliqui Recentiorum imprimis illi qui Mechaniſmo favent haſce negare aut tamen pro pure paſſivis habere, quos vero à *Stahlio Diſſ. de decub. humor.* ſolide refutatos cernes; hoc quidem inficias non eo, à ſaepius recrudeſcentibus talem partium laxitatem oriri, ut quia faciliime in conſuetudinem abeunt, pars ad irruptionem ſponte diſponatur. Dictae autem congeſtiones foventur

& ii

& inſtituuntur a motu tonico, quippe quo mediante ſanguis in parte aliqua tamdiu detinetur, donec excretio quam reſpicit contingat; quod ſi vero eventus hic non ſequatur, ſpasmus ſuccedit, de quo nonnulla prælibare non abs re erit. *Spasmus* ergo qui concomitatur atque ſubſequitur congeſtionem, nullum alium in finem inſtituitur, quam ut ſanguis ſtagnans propellatur atque exprimatur; illum itaque ab acrimonia humorum fibras vellicante non oriri, probat tum ejus defectus in corruptione ſeri acri & ulceroſa, tum ſtatum tempus atque determinatus exacerbationum locus. Placet quoque ex Pathologicis repetere, modo nominatum ſpasmum duas potiſſimum alterationes ſubire: ſummum illius gradum qui Convulſio audit, totum corpus concutiens, & Spasmum ſtricte dictum, ſive particularem toni exacerbationem; hic vel eſt fibrillaris, incompletus; vel rigidus, completus, in quem ille utplurimum degenerat, atque quando in partibus externis muſculoſis reperitur, Rhevma aut Arthritis vocari ſolet: facile vero in conſuetudinem abit, ut licet quantitatis atque craſeos vitioſæ nulla amplius veſtigia adſint, hi tamen motus remaneant. A quacunque ergo vel extrinſeca vel intrinſeca re hæmorrhagiæ impediantur, moliminibus prægreſſis aut ſuccedentibus, hæc ſemper vel de congeſtionum & has conſequentium malorum, vel de ſpasmodicorum affectuum genere eſſe, nullus dubites. Liceat nunc ſingulas hæmorrhagias ſuppreſſas ſecundum prædictum ordinem contemplari.

E §. V.

§. V.

Quod ſi *Hæmorrhagiæ narium* non ſuccedant, au plane non contingant ob cauſas ſupra allegatas, reli qua tamen ad illarum provocationem conſpirent, tum inquam ſanguis ad caput congeritur, ut motu ejus al quo modo impedito excretio melius contingat, hin extenſio illa, quam copia humorum in meninge bus producit, cephalalgiam modo gravativam mod lancinantem parit, cum pulſatione temporum, æſt volatico: tenſorios ejusmodi capitis dolores in puer ab hæmorrhagia dicta non ſuccedente, obſervarui *Vratisl. 1699. p. 31.* Dicti capitis dolores ſæpius recru deſcentes tandem aſſuefiunt more arthritico ſpasmo dicorum affectuum, & exacerbantur, hinc in cephalæ & clavum hyſtericum transmigrant, vel dimidium l tus occupantes in hemicraniam, quæ pathemata in fo minino magis ſexu, ab impedito ſucceſſu huicque ſi perveniente regurgitatione ſanguinis menſtrui locu habent; vel ſtaſes & inflammationes circa loca nun magis nunc minus vicina ſuccedunt: ſi ad oculo ophthalmiæ; ſi vero ad aures translatio facta fuit, ota giæ, parotidum atque tonſillarum tumores fiunt; ſi a meninges, phrenitides cum febre acuta: ſi ad dentiu membranas, odontalgia generantur. Non minus con geſtiones ſeroſæ ad caput contingunt, gravedinum cauſæ, quæ ſi exitum obtineant, coryzas formant ophthalmiam item ac cephalalgiam ſeroſam. Juve nibus congeſtiones ad pectus frequentiores ſunt quan ipſæ ſanguinis ſinceri eruptiones, ſive igitur *Hæmopty ſis* contingat ſive non, varia circa hunc locum inſti

tuun

tuuntur molimina excretionem reſpicientia, quibus ſanguis nunc ad caput repellitur , nunc in thorace congeſtus manet , unde oppletiones , infarctus , tuſſes modo mucoſæ , modo ſiccæ, effrenæ , & varia ſpaſticorum affectuum genera , nempe aſthmata ſicca, convulſiva, palpitationes cordis ; nunc hæ reſtrictiones ſanguinis degenerant in ſtaſes, à quibus infarctus pulmonum , vomicæ, phthiſis,quam ob tenerrimam viſceris ſtructuram aliaque facile incurrere ad hæmoptyſin diſpoſitos,ſupra meminimus; nunc inflammationes contingunt, in pleuritide, peripnevmonia , angina. Externe autem propter ſanguinem fiunt dolores rhevmatici circa humeros, ſcapulas, nucham, pleuritides item nothæ.

§. VI.

Quam ſalutaris ſit *Hæmorrhoidum fluxus* , & quot morbi inde præcaveantur , non opus eſt ut nunc referam, cum Experientia illud quotidie confirmet ; quod ſi vero ejus molimina ad exitum non perveniant, dici non poteſt, quam late incommoda inde pendentia ſeſe diffundant. Repentinos atque ſonticos effectus inde ortos ſilentio ut prætercam , de ſucceſſivis tantum noxis differere inſtituti ratio poſtulat. Hæmorrhoides internæ non ſuccedentes mali hypochondriaci pathemata excitant , hinc variæ occurrunt toni debilitates, flatulentiæ, congeſtiones , infarctus lienis atque hepatis, nec non exulcerationes ; aut à lymphæ motu impedito hydropes, cachexia ; aut inflammationes dictorum viſcerum, hepatitis, ſplenitis ; aut fit palindrome ad alias partes, unde hæmoptyſes , vomitus cruentus ;

aut ſpasmi ſequuntur, præcipue circa hypochondria aſthmata, dolores item colici. Ab externis vero hæ morrhoidibus, quæ venæ iliacæ propagines ſunt, long alia producuntur pathemata , nempe ab horum vaſo rum connexione pendentia: qualia ſunt , congeſtione ad renes, quæ in nephritides interdum & calculum de generant , dolores quoque arthriticos, iſchiadicos hinc pauciſſimos podagricos videas , qui non ſin vel fuerint ſimul nephritici , & vice verſa ; ſi de nique ſenium acceſſerit , neque ſanguis per externa hæmorrhoides evacuetur , facile in mictum cruentum transmigrant ; neque prætereundæ ſunt regurgatione humorum hac ætate contingentes , quæ apoplexias no raro generant.

§. VII.

Symptomata quæ *Menſium* ſuppreſſionem ſequun tur, adeo frequentia ſunt, ut quotidie illarum mitiga tio tum ægris tum Medico multum negotii faceſſat hinc mentionem de illis injicere non abs re erit. Quam vis vero non negem , multa quæ fœminas dicti fluxu ataxia laborantes afficiunt pathemata , ab illis quæ hæ morrhoidum ſuppreſſio gignit parum differre , ſequio tamen ſexus, vel ob majorem ſanguinis ſpiſſitudinem vel genus nervoſum admodum ſenſile , fibrarumqu ſtructuram valde teneram longe gravius illis decumbit Menſium itaque ſuppreſſio primo omnium parit conge ſtiones & quidem circa Venam Portæ, malum hypo chondriacum formantes , ob connexionem venæ hæ morrhoidalis internæ cum externa, quæ cum vaſis va ginæ & uteri inferioribus ab eadem propagine nemp

hy-

hypogaſtrica pullulat, uti ſolidiſſime id demonſtratum videas in *Diſſ. de Vena Portæ* ſub Præſ. Magnifici atque Excellentiſſimi Dn. D SALTZMANNI, Univerſ. h. t. Rectoris, Patroni & Præceptoris noſtri ſummo honoris cultu ætatem devenerandi, ante aliquot annos habita: circa quem locum ſi ſanguis pertinaciter reſtitet atque ſtagnet, excretio per vaſa brevia non raro contingit; ſi vero ad renes transferatur, nephritica & calculoſa producit mala; ſi ad pectus, palpitatio cordis, anguſtiæ præcordiorum atque interdum hæmoptyſis ingruunt. Quam frequentiſſimi autem ſunt dolores ſpaſtici, vel in abdomine in centro meſenterii vim ſuam exerentes, & non raro in convulſiones hyſtericas degenerantes, atque per conſenſum usque in œſophagum continuatæ, quod ſymptoma ſuffocationis nomine inſignitur; vel ad caput translati pertinaces illos dolores cephalalgicos, hemicranicos formant; vel in pectore aſthmatis convulſivi cauſa fiunt; vel etiam ad extremitates corporis delati arthritidem producunt. Si nimis diu ſuppreſſi maneant menſes, cachexiam tandem, hydropem, hecticam, in activioribus vero acutas febres pariunt. Eadem quæ de ſuppreſſione dicta ſunt, illorum quoque ceſſationem, quæ per ætatem juxta ordinarias Naturæ leges fieri ſolet, conſequuntur.

§. VIII.

Altera methodus per quam Nàtura ſanguinis imminutioni ſtudet, eſt *Conſumptio Febrilis*, naturali quidem propior, multo tamen operoſior atque difficilior præ hæmorrhagiis, cum ope toni atque pulſus pro ratione materiæ magis vel minus intenſi frequentior ſan-

guinis per vaſa atque partes tranſpulſio inſtituitur , ut brevi temporis ſpatio magna ſecretio procedat. Huc proxime pertinet illa continuarum febrium ſpecies quæ *Continentium* nomine celebris eſt, *Ephemeræ* ſcilicet atque *Synochi Simplices* veterum, quæ ſolam ſanguinis abundantiam atque turgeſcentiam agnoſcunt cauſam, atque excretione critica ſubſequente utplurimum quieſcunt; quod vero ad *Continuas* attinet, hæ quidem proprie huc referendæ non ſunt, cum miasmati potius humorum craſin deſtruenti vel labi alicujus viſceris adſcribendæ ſint , nihilominus non plane excludendæ quoniam Plethora præſente facilius in actum ducuntur atque graviora ſymptomata excitant. *Intermittentes* æque remote originem ſuam à modo citata copia habent, ſtaſin nempe ſanguinis circa viſcus aliquod infimi ventris foventes. Prima claſſis absque remiſſione usque ad finem durat , reliquæ vero certas atque ſtatas experiuntur exacerbationes ſive reduplicationes , quarum definitum tempus ſoli materiæ adſcribere velle valde laborioſum foret. Et hæc ſunt præcipua quæ ex humorum abundantia pullulant pathemata , quæ connexionis cauſalis inveſtigandæ gratia nomine tantum indigitare libuit , cum ad decentem illorum explicationem dies citius quam dicendi materia deficeret.

SECTIO

SECTIO III.

THERAPEVTICA,

PLETHORÆ, EJUSQUE EFFECTUUM CURAM RESPICIENS.

§. I.

ORdo, quem in Thematis hujus elaboratione elegimus requirit, ut hactenus prolatis, Plethoræ nempe illiusque morbis methodum tam curativam quam præſervativam licet paucis ſubjungamus, poſitis nimirum generalioribus quibusdam Indicationibus, quæ ex indicantibus bene perſpectis ſponte fluunt. Primo itaque omnium cauſa proxima nempe *Quantitas eſt imminuenda*, quo facto cuncta quandoque pathemata ceſſant. Hoc vero contingit, quando Medicus Naturæ methodum ſecutus vel ſinceram ſanguinis evacuationem inſtituit, vel reſolutione & ad corporis ſpiracula promotione idem obtinere tentat: illud Chirurgorum opem, hoc vero medicamenta reſolventia, ſudorifera, diuretica requirit. Quod ſi vero ſpiſſam jam conſiſtentiam contraxerit, & morbi ſupra nominati inde in actum ducantur, alterum emergit indicatum, ut videlicet *Spisſitudo diſſolvatur*, quod partim recenſitis, partim vero incidentibus, attenuantibus, atque diluentibus, præ aliis vero motu obtinetur; addo inſuper, purgantibus æque ſanguinis dyſcraſiam corrigi quam abundantiam tolli. Neque porro cauſæ impulſivæ fluxionum reliquorumque ſymptomatum ſunt præ-

ter-

tereundæ, *Turgeſcentia atque Orgaſmus*, quæ proinde moderanda ſunt ſanguinis motum temperantibus; *Motibus* denique *Spaſmodicis*, aliisque ſymptomatibus, nimirum medicamentis ſedativis obviam eundo. Quæ ſingula nunc ſpectabimus.

§. II.

Inter Remedia hæc ex triplici fonte deſumpta, primo loco recenſebimus *Diætaticam*, qua ſanguinis abundantiæ methodo maxime naturali occurritur, ſive ejus curationem ſive præſervationem conſideres. Optime quippe incommoda Plethoræ tolluntur ſola *ciborum abſtinentia*, præcipue à carnibus aliisque eduliis quam maxime nutritoriis, hinc inedia magnos morbos curari Veteres jam inculcarunt. Sed qui ſunt ſeculi noſtri mores! hoc conſilium quam utile & ſalutare etiam fuerit, à plerisque reſpuitur, hinc irritum fere eſt illud dare, & nihil auxilii inde ſperandum. Alterum in diæta momentum eſt *Motus*, quo ſcilicet non ſolum ſanguinis quantitas, mediante reſolutione in ſerum & exſpiratione imminuitur, ſed & illius fluxilitati quam maxime conſulitur, & hoc quidem plus efficitur quam omnibus fere reliquis, maxime ſi accedit menſura *Potus*, ut nimirum conveniens ſit & debita quantitate aſſumptus ſanguinem atque humores ſufficienter diluat. Cum vero quodad motum attinet, eodem modo comparatum ſit ac cum modo memorata diæta, ut nempe illi qui eodem opus quam maxime habent, nulla ratione eo cogi poſſint, ad alterum remediorum genus, *Chirurgiam* nempe confugiendum, quippe quæ proxime ſanguinis eductioni inſervit. Eminet hic *Venæſectio* ubi quidem

ſelectus

ſelectus vaſorum non adeo attendendus eſt, niſi ſpecia-
em derivandi & revellendi intentionem habeas. Ca-
endariorum inſpectio inutilis eſt, niſi quod phaſes Lunæ
ttinet, decreſcente enim illa Natura ſanguinis jacturam
acilius fert. Hæmorrhagiis bene ſuccedentibus non
pus eſt V. S. niſi conſuetudo illam adminiſtrandi id im-
eret: locum e contrario habet, ſi nimiæ illæ fuerint. *cl.*
entilius Eteodr. 1709. Mens. Mart. & Jun. magnam inci-
onem ſuadet eam ob rationem, quia e minori ſanguis
urus non vero craſſior æque effluit. Ratione *Tempera-*
ientorum illis qui vaſa ampliora habent maxime conve-
it, unde Melancholicis admodum proficua eſt, San-
uineis vero, qui vaſa exilia obtinent, ſcarificatio
otius conducit. Infantibus non niſi provida atten-
one habita ſuadenda eſt, licet Gallis ſolennis ſit,
eque ſenibus præcipue plethoricis ſtatim denegan-
a, ob rationes *in antec. Sect. Cap. I. circa fin.* allegatas. A
arificatione profunda gravia ſæpe damna oriuntur, non
im usque ad partes muſculoſas penetrare debet, ſed ſa-
eſt ſi illi ramuli qui e poroſis partibus ad cutem pertin-
int incidantur, ſiccioribus tamen non niſi caute
hibenda eſt. Tertium e Chirurgorum fonte remedium
nſtituunt *Hirudines*, quas potiſſimum in Hæmorrhoi-
um provocatione, quamvis in noſtris regionibus rarius,
hibemus. Ex *Pharmaceutico* huc ſpectant 1) *Purgan-*
, quæ humorum evacuationi & correctioni deſtinata
nt, & quidem vel ſingulis menſibus vel ſaltem ſæpius re-
tita plethoram efficaciter imminuunt; validiora autem
ue ſanguinem commoventia Sanguineis & Cholericis
n tuta ſunt; Phlegmatici tamen plus ſæpius & largius
t purgandi ſicut & Melancholici. 2) *Sudorifera*, cum
im communiſſima Naturæ methodus ſit abundantiam
ſeri evacuationem deplendi, hinc Medici artificialem

ſub-

ſubſtituerunt, quæ in diſpoſitis,ſpongioſis nempe locum magis habet, fortiora vero nocent,præcipue Sanguineis & Cholericis. Remedii genus eſt, ipſi etiam vulgo & notiſſimum & familiariſſimum. Huc ſpectant Thermæ, quæ v aliis quam Sanguineis & Phlegmaticis temperamentis ſu dendæ ſunt. 3) *Sanguinis orgasmum temperantia*, circa qu paucis notandum: Sanguineis acida, & præprimis acidula Cholericis nitroſa, Melancholicis eadem & diluentia co venire. Huc refer *Antiſpasmodica*, inter quæ eminent Ci nabarina, Anodyna quidem penitus rejicienda non ſun ſed cum grano ſalis & caute adhibenda.

§.III. In *Hæmorrhagiis* revocandis nullum Venæſectio commodius datur remedium, præcipue ubi aſſuetudo ja inducta eſt, quo in caſu ab hac ſola ſymptomatum remi ſio ſperanda, quippe qua congeſtiones, ſtaſes, & immine tes non raro febres tolluntur, præſtat tamen illam præſe vative adhibere. In hæmorrhagiis ad periculoſiora lo factis optime convenit revulſoria ad inferiora, maxime ætas provectior conſpiret: cum enim ſecundum illa quæ in lin ne *præc. Cap.* dictâ ſunt, humores ſponte ad inferiora vergant, atq poſt narium hæmorrhagiam nulla ſalutarior ſit hæmorrhoidibu quæ verſus reliqua loca, pulmones nempe atque ventriculum fiu congeſtiones, V. S. in pede ſunt præ occupandæ. In *Febribus* ma gnis jam formatis & ubi exanthemata metuenda ſunt aut jam eru pere incipiunt, ut vena incidatur non facile ſuaderem, cum pleru que deliria atque convulſiones circa diem criticum exinde ſint e pectanda, in intermittentibus tutius adminiſtratur V.S. inprimis inſignis humorum copia conjuncta ſit, medicamenta digeſti temperantia atque diapnoica hic egregie conveniunt. In con nentibus vero ejus adminiſtratio locum magis habere videt

Atque ſic, Divino Numini pro immenſa mihi conceſſa benigni tate humillimas agens grates, vela contraho.

FINIS.